

De mandatis secunda tabula.

In secunda vero tabula septem erant mandata ad dilectionem proximi pertinentia: quarum primum ad Patrem carnalem refertur, sicut primum primæ tabulæ ad patrem cœlestem, quod est: „Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram,“ scilicet viventium. Parentes vero sic sunt honorandi ut eis debita reverentia exhibeatur, & necessaria ministrentur.

Secundum est: „Non occides:“ ubi secundum litteram, actus homicidii prohibetur; secundum spiritum vero etiam voluntas occidendi. Unde huic mandato secundum litteram fit superadditio in Evangelio: quia littera Evangelii exprimitur, quod legis littera non exprimebatur. Evangelii littera exprimit intelligentiam spirituales, id est quam spirituales habent, & secundum quam spiritualiter vivitur. Littera legis sensum carnalem, id est (2) quem carnales habent, & secundum quem carnaliter vivitur, cui facta est superadditio.

Tertium est: „Non mœchaberis,“ id est, ne cuilibet miscaris, excepto federe matrimonii. A parte enim totum intelligitur. Nomine igitur mœchiæ omnis concubitus illicitus, illorumque membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi. (3)

Quartum est: „Non furtum facies:“ ubi sacrilegium, & rapina omnis prohibetur. Non enim rapinam permisit qui furtum prohibuit; sed furti nomine bene intelligi voluit omnem illicitam usurpationem rei alienæ. Sacrilegium tribus modis committitur, quando scilicet vel sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro auferitur. Sacrum vero dicitur quicquid mancipatum est cultui divino, ut ecclesia, vel res ecclesiæ. Hic etiam usura prohibetur, quæ sub rapina continetur. Unde Hieronymus (c) in epistola quadam. „Usuras querere vel fraudare, vel rapere, nihil interest. Commoda fratri tuo, & accipe quod dedisti, & nil superfluum quæras: quia superabundantia in usura computatur.“ Est enim usura, ut ait Augustinus super Psalm. LIV. cum quis plus exigit in injuria, vel qualibet re, quam acceperit. Item Hieronymus super Ezech. cap. xxxviii. „Putant aliqui usuram tantum esse in pecunia; sed intelligunt usuram vocari superabundantiam, scilicet quicquid est, si ab eo quod dederit, plus est, ut si in hinc me demus decem modios, & in messe quindecim recipiamus.“

Si furtum fecerunt filii Israel, quando spoliaverunt Aegyptios.

Si vero queritur de filiis Israel, qui Domino jubente ab Aegyptiis mutuaverunt vasa argentea, & aurea, & vestes pretiosas, & asportaverunt, utrum furtum commiserint: dicimus, eas, qui, ut pateret Deo jubenti, illud fecerunt, non fecisse furtum, nec omni modo peccasse. Unde Augustinus in Exod. quæst. xxxix. „Israelitæ non fecerunt furtum, sed Deo jubenti ministerium præbuerunt. Hoc enim Deus jussit, qui legem dedit: sicut minister judicis sine peccato occidit quem lex præcipit; sed si id sponte faciat, homicida est, etiamsi eum occidat quem scit à iudice occidendum.“ Et Lib. XXII. contra Faustianum cap. lxxi. „Infirmi autem qui ex cupiditate Aegyptios deceperunt, magis permitti sunt hoc facere, illis qui talia jure passi sunt, quam jussi.“ Hic opponitur, quod etiam boni in illo opere peccaverunt, quia naturalem legem, cui concordat Evangelium, & lex moralis præceptionis, transgressi sunt, quæ est: „Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris:“ quam veritas scripsit in corde hominum: & quia non legebatur in corde, iteravit in tabulis, ut voce forinsecus admota, redirent ad cor, & ibi invenirent quod extra legerent. Hanc igitur illi prævaricati videntur in illo facto, alii facientes quod nolebant sibi fieri. Sed ibi subintelligendum est, injuste „ut non alii,“ scilicet injuste, facias quod tibi non vis fieri. Alioquin hujus prævaricator est iudex, dum punit reum nolens aliquid tale sibi fieri. Ita etiam illud Domini verbum Matth. vii. 12. „Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis:“ de bonis accipiendum est, quæ nobis vicem exhibere debemus.

De quinto præcepto.

Quintum præceptum est: „Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium:“ ubi crimen mendacii, & perjurii prohibetur. (4) Solet autem queri, utrum prohibitum sit omne mendacium. Quidam dicunt illud tantum prohiberi quod obest, & non prodest ei cui dicitur: tale enim non est adversus proximum, ut ideo videatur hoc addidisse Scriptura. Sed de mendacio magna quæstio est, nec cito explicari potest.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister de virtutibus, & donis, quæ nos ad bene operandum inclinant, in parte ista determinat de præceptis legis, quibus ad opera virtutum, & donorum dirigimur. Dividitur autem in duas partes. In prima determinat de

(2) Al. hic, & infra quam. (3) Nicolai: ut Augustinus dicit quæst. lxxi. super Exodum. (4) Nicolai: ut Augustinus ait ubi supra.

Ex Edit. P. Nicol. (c) In qua epistola non occurrit. Simile quiddam insinuat Commentarius qui nomen ejus præfert in Psalm. xiv. super illud: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, ubi nimirum ait, quod visibilis pecunia prohibetur ad usuram dari, ne is qui commodat magis spoliet. Sequens autem appendix ex eodem habetur super illud: Qui ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit; ex eoque refertur in Decretis causa xiv. quæst. lxi. cap. Non putant.

ficulatem habent, xxxviii. dist. ibi: Sciendum tamen, tria esse genera mandatorum. Prima in duas. In prima determinat de præceptis primæ tabulæ; in secunda de præceptis secundæ tabulæ, ibi: In secunda vero tabula septem erant mandata. Prima in tres secundum tria mandata de quibus determinat. Secunda incipit, ibi: Secundum præceptum est: Non assumes nomen Dei tui in vanum. Tertia, ibi: Memento ut diem sabbato sancti jices. Circa primum tria facit. Primo distinguit præcepta. Secundo exponit primum ipsorum, ibi: Primum in prima tabula est: Non habebis deos alienos &c. Tertio solvit quæstionem ex prædictis ortam, ibi: Sed queritur quomodo hic dicatur forma idoli non esse facta per Verbum.

In secunda vero tabula septem erant mandata. Hic determinat de præceptis secundæ tabulæ: & dividitur in quinque partes secundum quinque mandata, quæ satis patent in littera: quatum quarta pars dividitur in duas. In prima exponit quartum mandatum. In secunda movet quæstionem, ibi: Si vero queritur de filiis Israel... utrum furtum commiserint; dicimus eos... non fecisse furtum. Secunda incipit, ibi: Hic opponitur, quod etiam boni in illo opere peccaverunt. Et similiter quinta pars dividitur in expositione præcepti, & quæstionem, quæ incipit, ibi: Solet autem queri, utrum prohibitum sit omne mendacium.

QUÆSTIO I.

HIC queruntur sex.

Primo. De necessitate legis scriptæ.

Secundo. De distinctione, ordine, & assignatione mandatorum.

Tertio. Utrum omnia mandata legis ad hæc decem referantur.

Quarto. Utrum dispensationem in aliquo casu recipiant.

Quinto. De observatione sabbati.

Sexto. De usura.

ARTICULUS I.

Utrum fuerit necessarium tradi legem scriptam.

1. AD primum sic proceditur. Videtur quod non fuit necessarium legem scriptam tradi, maxime de his decem præceptis. Ea enim quæ sunt naturaliter scripta in intellectu speculativo, nulla scientia in scripturam colligit, sed utitur eis quantum indiget unaquæque. Sed hæc decem præcepta sunt naturaliter scripta in intellectu pratico uniuscujusque. Ergo non fuit necesse ea in scripturam redigere.

2. Præterea. Scriptura videtur esse inventa ad succurrendum labilitati memoriæ. Sed alia præcepta legis quæ non sunt ita scripta in corde hominis, sicut judicialia, & ceremonialia, facilius poterant tradi oblivioni. Ergo ea magis debuerunt in tabulis lapideis scribi.

3. Præterea. Ea quæ scripto traduntur ad plebem per sapientes perveniunt. Sed hæc decem mandata ipsa plebs immediate audivit à Deo, ut patet Exod. xx. Ergo non debuerunt in scriptum redigi.

4. Præterea. Legislator qui intendit sibi subjectos bonos facere, non debet aliquid pro lege ferre ex

In III. Sent. Tom. III.

Ex Edit. P. Nicol. Ex Augustino sumpta Lib. de perfectione justitiæ ad ratiocinationem xiv. respondendo. Refert & Beda ex eodem super eundem locum paullo plenius, ut & infra.

quò vitia augeantur, eo prævidente. Sed ex hoc quod ista mandata obligatoria populo sunt iradita, prævaricatio crevit: I. Corinth. xv. 56. Virtus peccati lex: Glossa: (a) „Lex prohibendo auget peccati cupiditatem.“ Ergo non debuerunt hujusmodi præcepta legis à Deo dari, qui omnia prævidet.

5. Præterea. Servitia coacta sunt minus Deo accepta. Sed per legem fit coactio quædam, in quantum obligat. Ergo videtur quod hujusmodi obligatoriam legem edere non debuit.

Sed contra. Non minor cura est Deo de rebus humanis quam de rebus naturalibus, quas propter hominem fecit. Sed rebus naturalibus certas leges posuit. Ergo etiam rebus humanis aliquas leges povere debuit.

Præterea. In quolibet regimine oportet quod voluntas rectoris innotescat. Sed Dei voluntas nobis per legis præcepta innotescit, in quantum est signum divinæ voluntatis. Ergo oportuit quod ab ipso qui orbem regit, præcepta mundo ederentur.

Præterea. In VIII. Ethicor. cap. vii. vel xiii. dicit Philosophus, quod Rex per imperium solum movet eos qui in regno suo sunt. Sed Deus omnia movet. Ergo oportuit quod ad homines ejus imperium deveniret, quo in Deum moverentur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod necessarium fuit ea quæ naturalis ratio dicit, quæ dicuntur ad legem naturæ pertinere, populo in præceptum dari, & in scriptum redigi propter quatuor rationes. Primo quia per contrariam consuetudinem, qua multi in peccato præcipitabantur, jam apud multos ratio naturalis in qua scripta erant, obtenebrata erat. Secundo quia etsi in aliquibus vigeat ratio, ramen amor boni in eis deficiebat: unde per quamdam coactionem legis obligatoriam ad bonum inducendi erant. Tertio ut ad opera virtutis non solum natura inclinaret, sed etiam reverentia divini imperii. Quarto ut magis memoria tenerentur, & frequentius in cogitatione versarentur.

Ad primum ergo dicendum, quod passiones animæ non corrumpunt existimationem speculativam, sicut corrumpunt existimationem practicam: & ideo magis oportuit præcepta legis naturæ in scriptis redigi, quam principia speculativa.

Ad secundum dicendum, quod præcepta judicialia, & ceremonialia erant mirabilia secundum diversos status, & conditiones hominum; sed præcepta ista legis naturæ immobiliter permansura erant, in quibus signum in tabulis lapideis Deus ea scribi voluit.

Ad tertium dicendum, quod ista præcepta omnibus indita erant in naturali cognitione, & ideo in hujus signum Deus toti populo per se ea edidit; sed propter multos qui secundum passiones vivunt, in quibus iudicium rationis obtenebratur, voluit ut per sapientiores, in quibus iudicium rationis viget, in aliis cognitio horum præceptorum conservaretur, & ideo scribi ea voluit.

Ad quartum dicendum, quod lex, quantum erat in se, nullo modo nec occasio, nec causa erat augendæ cupiditatis, sed propter corruptionem fomitis hoc contingebat, occasione accepta ex lege, ab ipsis peccantibus, non data ipsis à lege.

Iii

Ad

Ad quintum dicendum, quod boni qui habent voluntatem bene faciendi, non operantur quasi coacti à lege, sed ipsi sibi sunt lex: unde non propter eos lex est posita, sed propter transgressores, ut dicitur Galat. 111. in quibus melius est ut coacti à malo desistant quam ut mala libere exequantur.

ARTICULUS II.

Utrum præcepta decalogi convenienter assignentur.

1. 2. quæst. c. art. 5. 6. & 7.

1. AD secundum sic proceditur. Videtur quod præcepta decalogi non convenienter assignentur. Præcepta enim legis ad merendum ordinantur. Sed meritum in aliquo actu consistit. Cum ergo in præceptis negativis non ponatur aliquis actus, sed solum negetur, videtur quod præcepta decalogi non debuerunt per negationem assignari.

2. Præterea. Illud ex quo datur aliud intelligi, debet aliquo modo continere illud. Sed prohibitio maioris mali non continet prohibitionem minoris mali, nec præceptum magis debiti continet præceptum minus debiti. Cum ergo per prohibitionem mœchiæ detur intelligi omnis illicitus usus membrorum, ut in littera dicitur; cum mœchia sit gravius quam simplex fornicatio, videtur quod non fuerit rectus modus assignandi præceptum, per prohibitionem mœchiæ alia minora prohibere. Et similiter potest objici de honoratione parentum, quod est magis debitum quam beneficia, quæ aliis hominibus sunt exhibenda, quæ ad hoc præceptum reducuntur.

3. Præterea. Omnia præcepta legis debent æqualiter in memoria contineri. Ergo cum in tertio præcepto fiat mentio de memoria, videtur quod eadem ratione debuerit in aliis præceptis poni.

4. Præterea. Præcepta decalogi ad legem naturalem pertinent. Sed legis naturalis dictamen per rationem naturalem est. Ergo non oportet in alio præcepto legis aliam rationem assignari, nisi quod naturalis ratio dicat.

5. Præterea. Omnibus præceptis observatis præmium debetur. Sed in quarto præcepto præmium ponitur, ut scilicet longævus sit super terram. Ergo eadem ratione in aliis præceptis poni deberet.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod non debeant esse decem legis præcepta. Sicut enim dicitur in Glossa Matth. vi. in precibus est ut impententur dona, in donis ut impleantur mandata, in mandatis ut beatitudines consequamur. Sed preces, & etiam dona, similiter & beatitudines quodammodo sunt septem. Ergo & mandata legis debebant esse tantum septem.

2. Præterea. Rom. xiiii. 8. (1) *Dilectio proximi legem implevit.* Sed intentio legislatoris in omnibus præceptis est ut lex impleatur. Ergo sufficiens fuit unum præceptum tantum, scilicet de dilectione proximi, ponere.

3. Præterea. Rom. vii. dicit Glossa: (a) *Bona est*

(1) Vulgata: *Qui enim diligit proximum, legem implevit.* (2) *Al.* in V. ejusdem.

Ex Edit. P. NICOL. (a) *Æquivalenter, & implicite, non explicite, ac formaliter: & quidem ex veteri potius quam ex moderna colligi potest, ut & ex Ambrosii, suppositio commentario. (b) Ex præfatione potius navitaris Christi colligi potest, quam & alibi Gregorii nomine non semel citat S. Thomas, etsi Gregorio antiquiorem, ut in Decretis patet.*

lex, quæ dum concupiscentiam prohibet, malum prohibet. Sed præcepta ordinantur contra peccata, ut patet per Augustinum in Lib. de decem chord. cap. 111. & deinceps. Ergo sufficisset unum præceptum ponere, in quo concupiscentia prohiberetur.

4. Sed contra. Videtur quod debeant esse plus quam decem. Ubi cumque enim contingit esse peccatum in opere, contingit esse peccatum & in interiori concupiscentia: quia consensus in peccatum, peccatum est. Sed furtum, & mœchia prohibentur diversis præceptis quantum ad actum, & quantum ad concupiscentiam. Ergo eadem ratione & alia peccata debuerunt duplicibus præceptis prohiberi.

5. Præterea. Ut in II. Lib. distinct. xlii. dicit Magister, tribus modis aliquis peccat, scilicet in Deum, in proximum, in seipsum. Cum ergo quædam præcepta ordinentur contra peccatum in Deum, quædam vero contra peccatum in proximum, videtur etiam quod quædam debuerunt ordinari contra peccatum in seipsum.

6. Præterea. Secundum Philosophum in II. Eth. cap. i. intentio legislatoris est ad virtutem civis inducere: unde & de singulis virtutibus aliquid lex præcipit, sicut patet (2) in V. Ethic. cap. 111 vel v. Sed multo plures virtutes sunt quam decem. Ergo debent esse plura præcepta.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod præcepta male ordinentur. Quia, sicut Gregorius dicit (b) super xxxv. cap. Job, ex visibilibus in amorem invisibilium rapimur. Sed præcepta secundæ tabulæ ordinant ad dilectionem proximi, quem videmus; præcepta vero primæ tabulæ ad dilectionem Dei, qui invisibilis est. Ergo præcepta secundæ tabulæ prius poni debuerunt.

2. Præterea. Prius est aliquid in corde quam sit in executione operis. Sed præceptum tertium primæ tabulæ videtur ad cor pertinere, præceptum vero secundum ad opus interius, primum autem ad opus exterius, quia ad actus patriæ pertinet. Ergo inconvenienter ordinantur.

3. Præterea. Secundum Boetium III. Lib. de consolat. metr. i. prius extirpanda sunt vitia quam inserantur virtutes. Sed præcepta negativa ordinantur ad extirpationem vitiorum, affirmativa autem ad habendas virtutes. Ergo in secunda tabula præceptum affirmativum non debuit esse primum, sed ultimum.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod cum intentio legislatoris sit ad virtutes homines inducere, quibus legem tradit, oportet quod illo modo in assignandis præceptis legis utatur qui competat viæ ad virtutem; quæ quidem est ut ex his quæ magis in promptu sunt, in difficiliora tendatur, sicut etiam in disciplinis ex magis notis in minus nota proceditur. Et ideo legislator in istis decem præceptis, quæ sunt quasi prima legis iniitia, illa prohibuit, vel præcepit, quæ primo occurrunt faciendæ, vel dimittendæ eunti ad virtutem; & ex his alia intelligi

voluit, quæ in eis quasi in suis principiis includuntur: & propter hoc plura negativa posuit quam affirmativa, quia magis in promptu est, & facile, ut mala dimittantur, quam ut bona perficiantur. In malis etiam illa prohibuit quæ statim in primo aspectu derestanda videntur, & similiter in bonis illa præcepta quæ cuilibet esse debita manifestum est.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis in præceptis negativis privetur actus exterior, potius quam ponatur; includitur tamen actus rationis eligentis repressionem cupiditatis, vel concupiscentiæ, quæ ad actus prohibitos inclinabat; & in hoc meritum consistit.

Ad secundum dicendum, quod quamvis prohibitio minoris mali in magis malo non includatur via syllogistica, ut argui possit, si magis malum dimittendum est, quod & minus malum; includitur tamen eo modo quo ea quæ ex seminibus naturæ progrediuntur, in rationibus seminalibus continentur. Sicut enim natura ex parvis seminibus in maximas arbores proficit, ita etiam & lex ex his quæ in principio, & in promptu sunt, in alia procedit, quæ sunt quoque difficiliora, & perfectiora: & ideo legislator per prohibitionem mœchiæ prohibuit fornicationem simplicem, & per falsum testimonium prohibuit omne mendacium, & per furtum prohibuit omnem turpem quæstum, & sic de aliis.

Ad tertium dicendum, quod tertium præceptum primæ tabulæ non erat simpliciter inditum rationi, quia determinatio diei quæ vacandum est divinis obsequiis, est ceremonialis, non inoralis, quamvis substantia præcepti moralis sit: unde magis natum erat à mente excidere quam ea quæ totaliter naturalis ratio dicat: & ideo potius in hoc præcepto induxit memoriam, & rationem præcepti assignavit quam in aliis præceptis.

Et ex hoc patet solutio ad quartum.

Ad quintum dicendum, quod quartum præceptum maxime videtur habere de debito, & de naturali inclinatione, & privato amore: & ideo minus videbatur esse meritum quam alia: & ideo propter hoc oportuit ut ei adderetur præmium. Vel dicendum, quod quartum præceptum est primum secundæ tabulæ, unde ipsi præmium additur; sicut & in primo præcepto primæ tabulæ præmium innuitur ex hoc quod Dei misericordia commemoratur; ut ex his duobus mandatis ostendantur omnia sequentia præmiabilia esse.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod lex civilis suis præceptis dirigit hominem in communicationibus quæ sunt ad alterum secundum vitam politicam; quæ quidem non potest esse nisi hominis ad hominem. Derisibiles enim videntur laudes politicæ vitæ in deos transferentes, ut dicitur in X. Eth. cap. viii. vel xii. Sed lex divina dirigit nos suis præceptis in spirituali vita, secundum quam, societates habemus non solum ad hominem, sed ad Deum: I. Joah. i. & ideo oportuit præcepta legis divinæ hoc modo distingui quod quædam dirigerent hominem in his quæ ad Deum spectant, quæ dicuntur præcepta primæ tabulæ; quædam vero in his quæ spectant ad proximum, quæ dicuntur præcepta secundæ tabulæ. Ordinatur autem homo (3) ad Deum tripliciter. Uno modo per meditationem cordis, ut dicitur in III. Sent. Tom. III.

(3) *Al.* ad eum. (4) *Al.* ergo aliquid.

citur in Psalm. xlv. 11. *Vacate, & videte quia ego sum Deus:* & ad hoc dirigit tertium præceptum, scilicet sanctificatio sabbati, (4) quo aliquod tempus deputatur ad vacandum divinis, cessando ab omnibus quæ hoc otium perturbare possent. Alio modo per reverentiam oris, quod fit dum laudatur, & nomen ejus cum reverentia enuntiatur. Et quia primo occurrit in reverentiam divini nominis jurare quam laudes debitas Deo reddere, ideo in secundo præcepto ponitur: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Tertio ut in opere servitium debitum exhibeatur, quod latría dicitur, ad cuius actum primum præceptum ordinatur similiter per prohibitionem contrarii. *Non habebis deos alienos.* Ad proximum autem homo dupliciter ordinatur. Uno modo ut ei beneficium impendatur, quod maxime parentibus faciendum est: unde in primo præcepto secundæ tabulæ honoratio parentum præcipitur, in quo intelligitur esse beneficium proximo exhibendum. Alio modo ut proximo nocumentum non inferatur, quod quidem contingit tripliciter. Primo quantum ad cor, & sic sunt duo præcepta ultima: *Non desiderabis uxorem proximi tui: & non concupisces domum proximi tui.* Secundo potest inferri nocumentum proximo ore; & hoc prohibetur quinto præcepto: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium:* in quo secundum regulam prius datam detractio, & objurgatio, & omnia hujusmodi prohibentur. Tertio inferitur proximo nocumentum opere: quod quidem contingit dupliciter. Uno modo inquantum subtrahuntur ea quæ sunt necessaria vitæ; & sic est quartum præceptum: *Non furtum facies.* Alio modo inquantum ipsi vitæ impedimentum paratur; quod dupliciter contingit. Uno modo circa vitam qua ipse in seipso idem numero vivit; & contra hoc est secundum præceptum: *Non occides:* in quo etiam omne nocumentum in personam prohibetur. Alio modo circa vitam qua aliquis vivit in prole idem specie; & contra hoc nocumentum est tertium præceptum: *Non mœchaberis:* quia adulterium contra certitudinem prolis est.

Ad primum ergo dicendum, quod virtutes, dona, beatitudines, petitiones, & præcepta legis, sicut dictum est supra, correspondent sibi in generalitate quia quælibet istorum se extendunt ad totam humanam vitam. Non tamen oportet quod particulariter singula singulis respondeant, nisi per adaptationem aliquam, eo quod non est eadem ratio distinguendi in omnibus prædictis.

Ad secundum dicendum, quod dilectio proximi est sicut prima radix observandi præcepta, prout in dilectione proximi etiam dilectio Dei includitur: est enim finis præcepti, ut dicitur I. Tim. i. unde tenet locum primi principii in disciplinis. Unde sicut ibi post primum principium, ad quod omnia reducuntur, ut dicitur in IV. Metaph. (scilicet quod affirmatio, & negatio non verificantur de eodem) ponuntur alia principia magis propinqua particularibus conditionibus; ita etiam in lege præter dilectionem proximi oportuit poni aliqua specialia præcepta quæ dirigerent in particularibus actibus.

Et similiter dicendum ad tertium de concupiscentia, quæ est sicut radix omnium malorum.

Ad quartum dicendum, quod nocumentum quod alicui in persona inferatur, naturalem horrorem habet, nec terminatur ad aliquod reale bonum faciendū, sed solum ad bonum æstimatum, quod est virtus.

Utrum omnia legis præcepta ad hæc decem (6) ordinentur.

1. 2. *quæst. xcix. art. 5.*

dicta. Sed nocumentum quod infertur in subtractione rerum, vel in abusu uxoris, natum est habere quamdam delectationem, in quantum terminatur ad aliquid bonum reale, ad minus sensibile, ipsius operantis. Et ideo ista duo nocumenta distinguuntur præceptis pertinentibus ad cor, & ad actum; non autem præceptum quod est de nocumento personæ proximi, talem distinctionem (5) recipit.

Ad quintum dicendum, quod secundum Philosophum in V. Ethic. cap. 111. vel v. legislator intendit commune bonum per rationem legis: & ideo actus particulares unius hominis non præcipit, nisi secundum quod ad alium ordinantur. Et propter hoc etiam quantum ad modum tradendi ista præcepta, hoc modo fuerunt assignanda, ut per ea ordinaretur homo tantum ad alterum, quamvis in ordinatione ad alterum includatur etiam ordinatio ad seipsum, sicut in dilectione proximi includitur dilectio sui.

Ad sextum dicendum, quod non oportuit in præceptis decalogi omnium virtutum actus præcipi, quia hoc ad perfectionem vitæ virtuosæ pertinet; sed oportuit tantum in illis hominem dirigi per præcepta decalogi quæ primo facienda occurrunt tendentibus in virtutem, ut dictum est.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod præcepta decalogi ordinantur secundum quod primo & principaliter facienda, vel vitanda, occurrunt. Et quia in spirituali vita, ad cuius directionem decalogus datur, ratio agendi Deus est quasi finis; ideo præcepta quæ ad Deum ordinant, primo ponuntur, inter quæ talis ordo consideratur ut prius illud præceptum ponatur cuius contrarium à Deo magis elongat, quia gradatim Deo approximamus à remotioribus descendentes. Et ideo præceptum quo prohibetur contrarius cultus, per quem homo quasi totaliter à Deo recedit, prius ponitur quam præceptum quo prohibetur irreverentia in vane assumendo divinum nomen: & ultimo ponitur præceptum de quiete cordis in Deum, in quo homo Deo maxime appropinquat. In præceptis autem secundæ tabulæ etiam similis ordo observatur, ut scilicet prius ponatur illud præceptum quod primo in bona conversatione occurrit. Et quia prius est ordinatio hominis ad domesticos quam ad extraneos, ideo præceptum de honoratione parentum præmittitur aliis quæ ad omnes communiter pertinent, in quibus etiam præmittuntur prohibitiones illorum quæ principaliter occurrunt cavenda. Tendentibus autem ad virtutem prius occurrit vitandum nocumentum operis quam oris, & oris quam cordis, & inter nocumenta operis gravius nocumentum prius vitandum occurrit: & ideo prohibitio homicidii præcedit prohibitionem mœchiæ, quæ præcedit prohibitionem furti; & hæc tres prohibitiones præcedunt prohibitionem falsi testimonii: & ultimo ponitur prohibitio concupiscentiæ, in qua iam perfectio virtutis consistit.

Et per hoc patet solutio ad objecta.

(5) Al. respicit. (6) Nicolai reducuntur.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Sive digestis de legibus, & Senatusconsultis. (b) Quod hic Celsi nomine prænotatur, est Juventii Celsi, cuius mentio inter civiles interpretes fit, & in Digestis Lib. I. tit. 1. de iustitia, & iure leg. 1. refertur ex professo, ubi dicitur *eleganter à Celso definitum.*

invenitur triplex cursus rerum. Quædam enim sunt semper, quæ nunquam deficiunt, ex natura hoc habentia ut sint, & impediri non possint: quædam vero sunt frequenter, quæ in paucioribus impediuntur: quædam vero sunt raro, vel in minori parte. Ea autem quæ sunt semper, sunt causa, & origo eorum quæ sunt frequenter, & raro: unde etiam in ea quæ sunt semper, reducuntur, ut in VI. Metaph. text. v. probatur: sicut motus celestes, qui semper sunt, sunt causa, & regula motus pluviarum, & imbrium, qui ut frequenter eurrunt eodem modo; & utriusque sunt regula, & causa casualium motuum, ut inventionis thesauri, vel alicujus huiusmodi, secundum quod homo, vel ex pluvia, vel ex aliquo huiusmodi, quod ad motum cœli reducitur, habet occasionem fodendi in agrum, ubi thesaurum invenit. Ita etiam est de legibus, quibus humani motus dirigitur. Quædam enim sunt leges quæ ipsi rationi sunt inditæ, quæ sunt prima mensura, & regula omnium humanorum actuum; & hæc nullo modo deficiunt, sicut nec regimen rationis deficere potest, ut aliquando esse non debeat: & hæc leges jus naturale dicuntur. Quædam vero leges sunt quæ secundum id quod sunt, habent rationem ut observari debeant, quamvis aliquibus concurrentibus earum observatio impediatur; sicut quod depositum reddatur deponenti, impeditur quando gladius furioso deponenti reddendus esset: & hæc leges simulantur his quæ frequenter in natura accidunt; & ideo directe, & immediate ad jus naturale reducuntur. Et ideo Tullius in I. Rhetor. vel II. de invent. num. 36. nominat huiusmodi jus à naturali jure profectum. Quædam vero leges sunt quæ secundum se consideratæ nullam rationem habere videntur suæ observationis; sed rationem huiusmodi nascuntur ex aliquibus concurrentibus quæ faciunt decentiam observandi; & huiusmodi simulantur his quæ raro accidunt in natura. Unde sicut illa non reducuntur in causas naturales, nisi observato concursu omnium, quibus aliquis rarus eventus accidebat; ita etiam huiusmodi legalia, quæ dicuntur positiva jura, reducuntur ad legem naturæ non secundum se absolute, sed consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quæ faciebant decentiam suæ observationis. Unde patet quod omnia præcepta legis divinæ, vel civilis, ad hæc præcepta reducuntur aliquo modo.

Ad primum ergo dicendum, quod illa lege (1) posita, de quibus Philosophus loquitur, secundum se considerata, differentiam non habent utrum sic, vel sic fieri debeant; sed huiusmodi differentiam sortiuntur ex diversis concurrentibus, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod artificialia non reducuntur in naturalia, ita quod natura sit eorum primum, & principale principium, sed in quantum ars utitur naturalibus organis ad complementum artificii. Similiter etiam præcepta cærimonialia, vel juris positivi non reducuntur ad naturalia, quasi ex ipsa natura vim obligandi habeant; sed hoc habent ex voluntate instituentis, quæ in institutione naturali ratione utitur, si recte instituitur.

Ad tertium dicendum, quod illa præcepta legis quæ mutata sunt, observantiæ suæ rationem habebant non ex ipsa substantia facti, sed ex aliquibus circumstantibus causis, sicut quod oportebat nostræ redemptionis mysterium aliquibus signis præfigurari, vel aliquid huiusmodi: unde cessantibus his causis,

(1) *Idest per legem instituta. Al. politica.*

non manet reductio istorum præceptorum ad præcepta naturalia.

Ad quartum dicendum, quod hoc intelligendum est quantum ad substantiam facti, quod lege præcipitur, quod aliquando non habet rationem quare sic, vel aliter fiat, ut dictum est.

Ad quintum dicendum, quod præcepta legis quæ apud diversos diversa sunt, dependent à præceptis naturalibus quæ sunt eadem apud omnes medianibus aliquibus circumstantiis, ut dictum est: & horum varietas varietatem in jure positivo causat.

ARTICULUS IV.

Utrum præcepta decalogi sint dispensabilia.

1. 2. *quæst. c. art. 8.*

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod præcepta decalogi sint dispensabilia. Quia secundum Philosophum in V. Ethic. cap. xiv. vel xvi. in humanis actibus propter eorum varietatem non potest una communis regula inveniri, quam non oporteat in aliquibus casibus deficere ad similitudinem Lesbæ ædificationis. Sed præcepta legis sunt mensura humanorum actuum. Cum igitur omne præceptum quod in aliquo casu intermittendum est, dispensabile sit, videtur quod omnia præcepta legis dispensabilia sint.

2. Præterea. Philosophus dicit in V. Ethic. cap. x. vel xii. quod justum naturale non est idem apud omnes, sicut nec alia quæ naturam hominis consequuntur, eadem in omnibus inveniuntur, ut quod dextera sit fortior sinistra, cum contingat aliquos ambidextros esse. Sed omnia præcepta quæ non ab omnibus sunt observanda, sunt dispensabilia. Ergo præcepta decalogi, quæ sunt de jure naturali, sunt dispensabilia.

3. Præterea. Præceptum divinum non potest esse injustum. Sed Deus aliquando præcepit fieri aliquid contrarium præceptis decalogi, sicut patet Exod. xii. de spoliatione Ægyptiorum: & Osee i. de accessu ad fornicariam. Ergo aliquando justum est fieri contra præcepta decalogi. Ergo præcepta decalogi sunt dispensabilia.

4. Præterea. Inter decalogi præcepta continetur homicidii prohibitio. Sed aliquibus casibus contingit iudex præcipit hominem occidi, & juste. Ergo & similiter alia præcepta aliquibus casibus emergentibus possunt non observanda esse.

5. Præterea. Sicut prius dictum est in corp. præc. art. omnia præcepta legis aliquo modo ad præcepta decalogi reducuntur. Sed prælati Ecclesiæ licet in aliquibus legis præceptis dispensare. Ergo & similiter in præceptis decalogi.

Sed contra. Secundum Bernardum in Lib. de præcepto, & regula, vel de præcepto, & dispensatione cap. 11. nulli licet dispensare in præcepto quod à suo superiori est impositum. Sed præcepta decalogi sunt imposita à Deo, qui est superior omnibus. Ergo nulli licet in præceptis huiusmodi dispensare.

Præterea. In quolibet genere est una prima mensura, quam oportet esse certissimam, & infallibilem, ut patet in X. Metaph. text. 111. & V. Metaph. text. xii. Sed prima mensura omnium humanorum actuum est lex decalogi. Ergo in nullo casu ab ea discedere licet, & ita indispensabilis est.

Præterea. Illud quod est per se verum, semper,

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod in rebus naturalibus in-